

ab illo quidem perorandi stilo dicta (al. dictata) a nobis vero explanandi specie translata sunt. Quae quidem Rufini verba dubium reddunt Lectorem, fidumne ille interpretem egerit, an pro arbitrio sua miscuerit, quod dubium, cum Graeca Origenis interciderint, tolli nequit. Harum porro Homiliarum jam Cassiodori aevo XVI. numerabantur, ut ex C. 1. Traët. ejus de institut. divinar. Litterar. liquet. Prima nobis infit: Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne uestitum processit in hunc mundum &c. Reliquae jam Libri, jam Homiliae inscribuntur. Textus, utut a secunda, quin tertia manu interpunctus et correctus fit, ulterioris tamen emendationis capax est, ut e collatione cum Editis T. II. Opp. Origenis Paris. 1733. p. 184. f. cognovimus. Sub Hom. I. principium locus integer ab verbis, ad sacrificandum vitulos et agnos, usque ad verba: Sed melius est me nullo gesto incidere in manus uestras, calamo Sec. XVI. subpletus est. Ultima finit: et suum nobis suave iugum fidei et caritatis et spei ac totius sanctitatis imposuit. Ipsi gloria in eterna secula seculorum. Amen. Tum literis graecis, latinisque mixtis: ΗΓΩ ΦΡΑΘΗΡ ΛΗΩ ΑΘΡΑΜΗΝ-ΘΑΧΙ VNC ΑΤΒΡΧΜ. ΗΘ CΩΜΡΑΗΧΥ VCQXH ΑΔ ΦΥ-ΝΗΜ. ΔΗΡΡΗCΩΡ ΧΩC VΘ ΩΡΗΘΥC ΡΡΩ ΜΗ ΑΔ ΔΩ-ΜΥΝΧΜ. ΑΜΗΝ. ΔΗΩ ΓΡΑ-ΘΥΑC. Quae lego: Ego Frater

Leo atramentavi hunc librum et complevi usque ad finem. Deprecor vos ut oretis pro me ad Dominum. Amen. Deo Gratias. Vides literam H ubique sonum E reddere, Θ semper pro T poni, Υ non raro pro I. singularem esse formam X pro V. C jam ut Σ jam ut K pronuntiandum, P jam Rho, jam Pi valere, Latinas esse V. et Q. Nescio, quid ignotum hunc Leonem ad ostentandam suam Καλλιγραφίαν graecam moverit. Monet illa Inscriptionis sepulchralis M. Gordiani, quae habetur Romae subterranean. L. III. c. 22. et Numerorum graec. Sec. IX. et X. quorum ἐπιγραφὰς exhibet Montefalconius Palaeograph. Gr. L. II. sub finem c. 7. Pag. ult. adscriptae sunt Orationes quaedam ad Deum, ut per intercessionem S. Blasii Spinae aut Ossa Gutturri infixae revellantur. Origenis Homiliae jam etiam Cod. praeced. indicantur.

CLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 408 XII. Folior. 67. 4. caractere minutiore perquam nitide exaratus, rubricisque decoratus frequentia complectitur: I. Homilias III. Origenis a Rufino Aquilej. latine versas, quarum prima inscripta est minio: Omelia XX. II. origenis de filiabus sulphat et de successore moysi. Initium: Quinque filie fuerunt. quarum etiam nomina in scriptura comprehensa sunt &c. Addi debebat titulo: M m 2 In

In Librum Numerorum. Legitur in edit. *Maur. Opp. Origenis Paris.* 1733. T. II. p. 354.

II. fol. 3. *Omelia XX. III. de eo quod scriptum est munera mea data mea et de diversitatibus Festivitatum.* Initium: *Si observatio Sacrificiorum et instituta legalia que in typo data sunt populo israel &c.* Sequitur priorem etiam in *Edit. cit.* p. 356.

III. fol. 6. p. 2. *Omelia octava (pariter in Numeros) de his que ab exploratoribus renunciantur et de indignatione domini ac de supplicatione Moysi.* Initium: *Duodecim missi sunt inspectores ex filiis israel ad considerandam terram &c.* Extat edit. *cit.* p. 293. Omnes tres integrae et probae lectionis.

Subjecit illis quidam Possessor Sec. XIII. Titulos Librorum Bibliothecae suae: *Sunt mihi Libri.* Hos inter minus noti: *Alexander*, quem puto de *Villa Dei Grammaticum*, *Gnosticon*, fortasse *Hypognosticon* olim *Augustino* tributum, *Jcmarus*, putem *Hincmarus Rhem.* *Adalgerus ad Nonvindam*, qui in *Cod. Tegerns.* et apud *Pez. Thes. Anecd.* T. II. p. 19. *Adelberus* dicitur. Vide *Cod. CCXL. Versus Wernberi*, quos ignoro. *Sententie depravae* et *Sententie nigrae*, quae nam hae? *Bernoldus de diuinis officiis*, cujus extat *Ordo Rom.* compilatus circa an. 1089. In uniuersum Bibliotheca haec censebat Volumina XLVII.

IV. fol. 9. *Excerpta de libris sancti gregorii pape in proueria*

salomonis. Non scripsit in *Proverbia Gregorius*, sed multa *Proverbiorum* Loca in aliis suis Operibus explanavit. Ejusmodi Explanations biblicas ὁδὸν πρᾶξεσθαι ab eo datas in *Libros* redegit *Paterius Gregorii* familiaris, *Ecclesiae Rom. Notarius et Secundicerius*, apud quem *Nostra Librum XII.* constituunt, ut videre est in *Edit. Maur. Opp. Gregorii Paris.* 1705. T. IV. col. 281. Nulla tamen in *Cod. Paterii* mentio, qui sic orditur: *Cum Simplicibus sermocinatio eius. Deo enim sermocinari est per illustrationem suę presentię humanis mentibus archana reuelare &c.* Itaque nec *Opera Gregorii*, unde *Explanations* hae decerptae sunt, citantur, ut in *Edit.* Ceterum non deest lectio, quam praeoptes. Ita mox sub principium in illud: *Omni custodia serua cor tuum*, quod exponitur L. XIX. in *Job. n. 33.* malo cum *Nostro: fortibus cingatur muris, intus omni muniatur custodia &c.* quam cum *Edit. insomni muniatur custodia.* Ad calcem totus adtextitur locus e L. V. in *Job*, quem etiam in *Mf. Vaticano* haberi memorant Editores.

V. fol. 14. absque Titulo *Expositio in VII. Psalmos dictos Poenitentiales Heriberti, Hariberti, Eriberti, Euberti* Episcopi *Regii Lepidi in Italia*, de quo, cum *Literatores* fileant, congeram, quae legi. Omiserat illum in serie *Episcoporum Regiensium Ughellus*, ejusque primum in *Append. T. V. Italiae sacrae* meminerat.

nerat. Repositus est suo loco in nova *Edit. Venet. T. II. 1717. col. 284. f.* successor *Gandulphi*, qui post annum 1087. episcopatus honore spoliatus obiisse dicitur. Itaque ab hoc circiter anno *Heribertus* infulas sumferit, *catholice Romanam diligens ecclesiam*, ut habetur in *Notitia de Thesauro Canusinae Eccl. Romam transmissa &c. T. V. Scriptt. Rer.*

Ital. Mediol. 1724. p. 385. f. id est a partibus Rom. Pontificum et *Mathildis Comitissae* stans contra *Henricum IV. Imp. Mathildem* ejus usam consiliis e *Donizonis* Presb. et Monachi *Canusini* versibus L. II. *Vitae Mathildis* T. cit. p. 372. liquet; dum enim *Mathildis* de pace cum *Henrico* ageret,

*Reginus Praesul, speculum quasi lux, Heribertus
Cum reliquis plane faciendam confore pacem
Astruit adjungens: tribulatio temporis urget.
Mens domine flecti quasi coepit in his quoque verbis.*

Acta haec anno 1092. moxque inde *Siciliam* petiisse videtur *No-ster*; ait enim *Notitia* suprac. Posthaec idem *Episcopus Heribertus* pergere volens in *Siciliam* per proficuum et honorem *Reginae Ecclesiae*, quia pura amicitia *Canusnam* diligebat *ecclesiam*, mutuo accepit pretiosam planetam — cum decenti lineo indumento — suis pontificalibus verbis valde confirmans et spondens — si a *Sicilia*

vivus reverteretur, quod de melioribus capellis sui *Episcopatus* subjugaret *Canusinae Ecclesiae* et si contingeret eum non reverti — ipse ordinaret unum de bonis *Reginae Ecclesiae* ut restorationem haberet *Canusina Ecclesia* &c. Non reversum fuisse, docet *Epitaphium* ejus *Opusculis* in *Codice* nostro subjunctum, quod hic praecipuo:

*Pontificale decus regii dum praesul habebas.
Moribus eximiis sapiens heriberte uigebas.
Non sensus nec iusticie uirtute carebas.
Strenuitatis erat quoniam quicquid faciebas.
Non calabri regii (Julii) ius pontificale regebas.
Sed cis alpini regii (Lepidi) ius iure tenebas.
Forte tamen siculis in partibus esse uolebas.
Cum tibi mors tribuit ea que uentura sciebas.
Corpus ibique tuum tumulatur quo renitebas.
In festo sancti martini (II. Nov.?) quem metuebas.
Nunc tibi sit requies quam sepe gemendo petebas.
Idque boni capias quod querere precipiebas.*

Imo statim eodem anno occubuisse eruo e Documento *Ludovici* in cathedra *Regiensi* Successoris, quod ab *Ughello T. cit. col. 285.* productum, datum est *Anno Dom. Incarn. 1093. Episcopatus vero D. Lodoici anno II.* Episcopatum itaque abs *Ludovico* initum oportet post *D. Martini* Festum 1092. ut extrema anni 1093. jam *secundus* ejus *annus* dici potuerint.

Quid vero *Heribertus* in *Sicilia*, et quidem cum splendido habitu pontificio, ut supra dictum? Pandam, quod occurrit. *Conradum Henrici IV.* filium primogenitum a. 1093. a Patre descivisse, et *Mathildem Rogerii Siciliae, Calabriaeque Comitum* filiam sibi copulasse constat ex Historia. Id factum *Mathildis Comitissae* artibus testis *Donizo suprac. p. 375.*

*Consilio cujus pulcher juvenis, rubicundus,
Ac prudens vere Siculam duxit mulierem
Rogerii natam Ducis.*

Heribertum favore et consilio apud Dominam suam multum poluisse cum supra meminimus, tum e *Ben. Bacchini Hist. Monasterii Padolironens. Placitoque Mathildis* anni 1101. quod exhibet *Ughellus cit.* et in quo *Comitissa* eum *beatae memoriae* virum adpellat, manifestum fit. Quare non procul a vero erit, *Heribertum* ad tractandum *Conradi* cum *Mathilde Sicula* Connubium in eas oras ablegatum fuisse. Jam ad ejus Scripta a nemine, quod sciam, indicata convertamur. *Expositionem Psalmorum* praeit *Epistola* inscripta: *Virginibus immortalisponso dicatis. et filiabus iberusalem. B. et. Ju. He. (Heribertus) Reginae ecclesiae servus. Spirituum gratiam gaudiorum. Virginum harum Sanctimonialium Nomina neque in ulla alia Epistolarum, quae sequentur, scribuntur integra. Epistola nullum prorsus cum subiecta Expositione nexum habet, potuissetque eadem ratio-*

ne reliquis *Epistolis* adjungi. Incipit: *Oppido cor nostrum suavissime caritati uestre congaudet. quando sanctae religionis studium adimplere studetis. et debiles quosque in dilectionis divinae soliditate. saluberrime exhortationis institutis confirmare curatis. Mox Caritatem extollit, pro benevolo Virginum adfectu gratias agit, se in rota seculi laborantem et in Carnalium habitantem fetore voluptatum adpellat, laudes deprecatur, et orationum expetit subfragia. Epistolam excipit Argumentum Psalmi VI. quo exponitur ejus Titulus: *In finem in Hymnis Psalmus David pro Octava* hoc initio: *Si ille rex et propheta convenienter david. id est manu fortis uocatus est. quia ursum interfecit. leonem suffocavit. goliath fortissimum lapidis unius ictu prostravit. et gentes innumeras imperii sui ditioni subegit. non incongrue eodem nomine sanctam animam accipimus &c.* Atque tale argumentum re-*

liquis etiam VI. *Psalms* praefixum est. In medio vero praesentis Argumenti rudis conspicitur *Pictura Heriberti* habitu Episcopi d. pedum, s. librum tenentis, quem excipere velle videntur adstantes duae Mulieres velatae, quae *Pictura*, tacente licet *Epistola*, innuit, *Expositionem* hanc *Psalms*. in gratiam duarum illarum Virginum *B.* et *Ju.* susceptam fuisse. Ipsa jam *Psalms* I. explanatio sic incipit: *Domine ne in furore tuo arguas me. Uides quam bonum principium. quam affectuosum. quam gratie plenum. In eo enim quod dominum eum uocauit. quod sui iure misereri deberet ostendit. Dominorum enim est seruos alere. non negligere. delinquentes corrigere. non necare. fugientes requirere non abdicare.* Vel ex hoc principio bonam spem de toto Commentario concipias, qui literae inhaereat, neque Mystica et Allegorica intemperanter confectetur. Finit is in pia precatione: *Bone iesu uerbum patris. splendor paterne glorie. in quem desiderant angeli prospicere. doce me facere uoluntatem tuam. ut a spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perueniam ciuitatem. ubi est dies eternus &c.* quae in *Soliloquiis* et *Speculo* olim *Augustino* tributis sparsa leguntur.

VI. fol. 58. p. 2. absque Inscriptione sequuntur eiusdem *Heriberti* ad easdem Virgines *B.* et *Ju.* *Epistolae* V. quarum dabo rationem. *Prima* incipit: *Dilectionis uestre scripta perlegentes. et mellisua sermonis uestri dulcedine*

animam nostram recreantes &c. expetit literas, promittit memoriam, pie monet. *Secunda: Innumerabiles occupationum mearum molestig et grauissimi tempestatis huius labores &c.* Solatur se et illas intuitu aeternorum et finit: *Et quia non possum amplius pati cremonensium aduersum me querimoniam. oportet me properare cremonam. Valde namque conqueruntur. quod post preceptum domini pape non eos inuiserim. et quae ibi sunt corrigenda. nequaquam correxerim.* Nihil de hoc negotio apud *Scriptores Cremon.* inveni. *Tertia: Si cuncta mei corporis membra uerterentur in linguam &c.* Tota argumenti ascetici. *Quarta: Scriptum est in salomone. Labia iustorum. stillant gratiam &c.* Consonat priori. *Quinta: Suauissima scriptorum uestrorum refectionio. et operis nostri merces geminata &c.* Pariter pia; hic uero de se: *Nunc cum me undique sollicitudines excrutient. terrores angustent. aduersa deterreant. prospera extollant. nihil dignum uobis ualeo meditari.* Et in fine: *Ego quidem multis regis (Conradi?) supplicationibus coactus alpes transire proposui. sed propter eorum laborem per uos transire nequaquam presumpsi. Hec itaque pauca inter ipsas curarum et occupationum procellas. fenerator uerbi uobis conscripsi. tempore quo absens fuero uobis ruminanda. — Valete maxima spes animae meae et in marina iturum discrimina orationibus me uestris liberate.* Ultima igitur haec fuerit *Heriberti*

pere-

peregre defuncti *Epistola*, quam excipit in *Cod. Epitaphium* jam supra relatum.

VII. fol. 61. p. 2. *Incipit Liber de Conflictu Viciarum atque Virtutum. Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi.* Initium: *Apostolica uox clamat per orbem. atque in procinctu fidei positus. ne securitate torpeant dicit &c.* Alias tributus *Augustino*, ut nobis *Codd.* pluribus. Omissus in edit. *Maur. Ambrosii*, in edit. *Augustini* legitur T. VI. *Append. col. 219.* duobus *Capp.* nostro prolixior, qui finit c. 26. his verbis: *et mihi adhuc magis stupenda narranti fidem prebeto.* Autor genuinus videtur *Ambr. Autpertus S. Vincentii ad Vulturum in Benevento Abbas*, ut ex *Admonit. praeuia Maurianor.* diximus ad *Codd. supracit.* quos vide in *Indice.*

VIII. fol. 67. p. 2. *De Penitentia Salomonis* dictum *Augustini*, *Hieronymi* et *Ambrosii.* *Cod. CCCXLVI.* adest etiam dictum *Gregorii*, et Titulus: *De Salomonis Salute.*

CLXXXIX.

58 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 235. f. relictis Miniculatori literarum capitalium spatiis cetera nitidissime exaratus offert superflites XV. *Origenis Adamantii Alexandrini Commentariorum in D. Pauli ad Romanos Epistolam Libros*, a *Rufino Aquilejensi Presbytero X. Libris latine redditos*, contractos et suppletos. Praefationis *Rufini ad Heraclium*

hoc est initium: *Volentem me paruo subuectum nauigio omnia (oram) tranquilli littoris constringere &c.* Post hanc: *Incipit praefatio domini origenis super epistolam beati Pauli apostoli ad Romanos. Quod ceteris apostoli Pauli epistolis difficilior putatur ad intelligendum haec &c.* Ad calcem L. X. rursus habetur *Rufini Commendatio finiti Operis*, cui subjecta est rubrica literis quadratis: *Explicit Liber Decimus Explanatorum Origenis in Epistola Sancti Pauli ad Romanos Rufino Traduttore.* Origenem *Libris XX.* in hanc *Epistolam* commentatum fuisse tradit *Cassiodorus*, *Institut. divin. lect. C. 8.* Interpolatos hos aevo suo, et deesse fere apud omnium Bibliothecas aliquanta ex ipso corpore volumina queritur in *Praef. supracit. Rufinus.* Ad didisse illum quaedam, breuiasse alia ex *Commendatione* pariter *supracit.* discimus, atque hinc sibi a quibusdam obiectum non diffitetur, cur *Operi* non potius titulum fecerit: *Rufini in Epistolam ad Romanos Explanatorum Libri.* Sed, quod *Rufinus* noluit, *Hieronymo* ejus adversario postliminio obtrusum est. Proderunt enim sub ejus nomine *Commentaria nostra Venet. 1506.* Rationes hujus erroris vide in *Praef. T. IV. Opp. Origenis Dom. Caroli Delarue. Paris. 1759.* f. cui Tomo ad pag. 458. *Commentaria praedicta* post Editiones *Jac. Merlini, Erasmi Roterodami*, et *Gilb. Genebrardi* insunt. De *Origene* et *Rufino* adi si lubet, *Hambergeri nostri*